

# ❧ EPISTO

LAE PAULI ET ALIORVM

APOSTOLORVM AD GRAECAM

veritatem castigatae, & per Reueren-

dissimum Dominum Dominum Tho-

maam de Vio, Caietanum, Cardi-

nalem sancti Xisti, iuxta sensum

literalem enarratae. Quibus ac-

cesserunt Actus Apostolo-

*Omnia accuratiori cura quam antea excusa.*

*correctus, castigatus, iuxta sensum literalem enarratus, et per*  
*superiorum Pontificum, et*  
*sancti Xisti*  
**PARISIIS.**

*In aedibus Carole Guillard, sub sole aureo, et Io-*  
*annis de Roigny sub quatuor elemen-*  
*tis via ad diuum Iacobum.*

1540.



AD CAROLVM QVIN-  
tum, Romanorum Imperatorem  
&c. Thomas de Vio Cardi-  
nalis sancti Xisti.

**I**Nter præclarissimas animi tui  
dotes plurimas tua singularis ab  
vniuersis prædicata religio, coë-  
git me, vt Commentarios in Pauli alio-  
rumque Apostolorum epistolas nuper  
editos, tibi dicarem, quo & religiosum  
opus talis tatiq; Cæsaris splenderet no-  
mine, & officium meum quod persolue-  
re nequii, veniendo ad maiestatis tuæ  
manus osculandas vel sic supplerem. Et  
quoniam intentionis meæ fuit sensum  
duntaxat germanū profequi, ideo Apo-  
calypsim Ioannis omisi: fateor enim in-  
genue me non penetrare illius mysteria  
iuxta sensum literalem. Suscipe itaque  
humanissime princeps munusculū hoc  
solita benignitate: & in eo me seruum  
deditissimum complectere.

Vale fœlix semper Auguste.



# THOMAE

DE VIO CAIETANI CAR-

dinalis sancti Xisti, in omnes diui Pauli

& aliorum apostolorum epistolas cō-

mentarii. Et primum in episto-

lam Pauli ad Romanos.



**P**aulus. Exposito textu quatuor  
Euangelistarum, occurrunt episto-  
lae Pauli. Et in primis ad Roma-  
nos. Que prima sui diuisione diui-  
ditur in salutationem, & narratio-  
nem, ibi, primū quidem. ¶ Incertū  
est an à principio Paulus fuerit bi-  
nomius, an à principio nominat<sup>r</sup>  
fuerit Saulus & progressu temporis  
nominatus fuerit Paulus. Ex cō e-  
nim quòd ipse semper Paulum se  
nominat in omnib<sup>9</sup> suis epistolis,

apparet quòd nominatus fuerit Paul<sup>9</sup> à principio: alioquin nouo  
nomine se nominās, ambiguum se reddidisset. Vnde & Petrus no-  
uiter appellatus, nominat se, Simon Petrus. Et cōsequenter Paulus  
debuisset se nominare, Saulus Paulus. Ex eo vero quòd in Actibus  
Apostolorum vsque ad. 13. capitulum, immo vsque ad cōuersionē  
Sergij Pauli Procōsulis semper nominatur Saulus, & ex tūc inci-  
pit à Luca nominari Paulus, apparet quòd Pauli nomen à Procō-  
sule acceperit. ¶ Vndecunque autē nominatus fuerit Paulus, con-  
stat quòd regio nomine (scilicet Saul seu Saulus) vti noluit sed no-  
mine humili. Paulus enim diminutiū est à parum secundum grā-  
maticam. Inde siquidem paulum, paululum, paulillū &c. *seruus*  
*iesu christi*. Seruus quicquid est, domini sui est. totūque se esse Iesu  
Christi significat. *vocatus apostolus*. Non est sensus, nominatus  
apostolus, sed accitus apostolus: hoc est vocatus ad apostolatū.  
Non me ipsum feci apostolum, sed ad apostolatū vocatus sum,

a Actū.

*in quæ dicebantur: quidam uero non credebant. Quumque inuicem non es-*  
*sent consentientes, discedebant: dicente Paulo unum uerbum quia, pro, q,*  
*bene spiritus sanctus locutus est per Esaiam prophetam c. 6. Ad patres*  
*nostros, dicens, Vade ad populum istum & dic, Aure. corporis, Au-*  
*diatis & non intelligetis. doctrinam Euangelicam. Et uidentes uis-*  
*debitis. signa & miracula. Et non perspicietis. internam in Iesu di-*  
*uinam uirtutem. Incrassatum est enim cor populi huius. Ecce meri-*  
*tum pœnæ antedictæ ( uidelicet non intelligere nec perspicere)*  
*incrassatio cordis: hoc est uoluntatis occupatio ab effectibus pro-*  
*priis. Et auribus grauitè audierunt. Inde prouenit malus auditus*  
*uelut semisurdorum. Et est sermo de internis auribus, & simili-*  
*ter de internis oculis quum subditur. Et oculos suos compresserunt,*  
*ad non aut male uidentium. Totum ergo meritum ex eorum de-*  
*scribitur uoluntate. Ne forte, pro, quando, uideant oculis. internis.*  
*Et auribus audiant. internis, Et corde intelligant, hoc est & cor*  
*applicent ad intelligendum. Et conuertantur, ad ueritatem Euan-*  
*gelicam. Totum hoc effectus est meriti eorum, non intentus ab*  
*eis sed ex facto eorum interno proueniens, Et sanem eos. Iste dei ef-*  
*fectus efficeretur si Iudæi non redderent seipso indispósitos ex*  
*supradicto affectu proprio. Notum ergo sit uobis quoniam, pro, q,*  
*gentibus missum est hoc salutare dei: & ipsi audient. & quum hæc dixisset*  
*exierunt ab eo Iudæi, multam habentes inter se questionem. Mansit au-*  
*tem biennio toto in suo conuictu, pro, cōducto. proculdubio hospicio,*  
*Et suscipiebat omnes. tam Iudæos quàm Ethnicos. Qui ingredie-*  
*bantur ad eum, prædicans regnum dei & docens: quæ sunt de domino*  
*Iesu Christo cum omni fiducia sine prohibitione. Explicat Lucas quòd*  
*per totum biennium nullus inhibuit Paulo prædicationem Euan-*  
*gelij in suo hospicio. Quid postea secutum sit, nescitur: nisi quan-*  
*tum ex Epistolis Pauli conticere licet. Amen. Caietæ in die sacro*  
*Apostolorum Petri & Pauli. M. D. XXIX.*

**¶** Commentariorum Thomæ de Vio Caietani, Cardi-  
 nalis sancti Xisti in epistolas Pauli & Acta Apo-  
 stolorum, per Ioannem Danielis. S. D. N.

Papæ pœnitentiariū ac authoris ope-  
 ris alium diligentè recognitorum. Finis.

Excudebat Parisiis Carola Guillard suis  
 & Ioannis de Roigny expensis.